

mum adoptantis et filiam adoptivam ob eandem rationem.—IV. Inter filium adoptatum et filiam adoptatam, vel inter eorum liberos, etsi omnes essent in potestate adoptantis: nam adoptati, licet cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quandiu potestas durat, tamen inter se nullo cognationis vinculo ligantur.—Nec obstat, quod in eadem familia morentur, sintque in periculo fornicationis; quia impedimenta ob similitudinem rationis sine jure non sunt asserenda.

84. Q. III. *Quis dispenset in hoc impedimento?*

R. Solus Papa: sed in linea recta cognationis et affinitatis, ob magnam indecentiam, difficillima est dispensatio: in linea vero transversa non opus est dispensatione, quia per emancipationem unius solvitur hoc impedimentum.

TITULUS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ VEL
SPONSÆ. ^a

85. Q. I. *An, et quod impedimentum incurrat fornicans cum consanguinea sponsæ vel uxoris suæ?*

R. 1.º Sponsus fornicans cum consanguinea suæ sponsæ, incurrit impedimentum affinitatis, quod hodie dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, et non ultra (Trid. S. 24. c. 4. *de reform. matr.*), quo casu priora sponsalia solvuntur propter affinitatem: nuptiæ verò cum deflorata, si celebs est, consistere nequeunt, propter obstans impedimentum publicæ honestatis: et hoc impedimentum affinitatis ex copula illicita adhuc est in usu, ut patet ex *cit. Trid.* et incurritur etiam ab ignorantibus; quia non tam est pœna, quam inhabilitas ob indecentiam: quia non decet tales personas inter se copulari. Nomine *consanguineæ* venit, in hac materia odiosa, consanguinea *naturalis*, non verò *legalis* ex adoptione, vel *spiritualis* ex baptismo aut confirmatione.—Alterum impedimentum, quod complex, altero complice vivente, non possit inire matrimonium cum quacumque alia persona per c. 12. *de despons. impub.*, consuetudine contraria abrogatum est; vel sicubi viget, dispensare in eo potest Episcopus.

2.º Maritus incestum committens cum consanguinea suæ uxoris incurrit privationem juris petendi debitum: reddere tamen tenetur, ne pars innocens alieno delicto gravetur (c. 1. 4. *fin. h. t.*) Hodie hoc impedimentum affinitatis non extenditur ultra secundum gradum per *cit. Trid.*, ita ut privet jure conjugali, licet cognoscens consanguineam uxoris in tertio vel quarto gradu teneatur circumstantiam istam aperire in confessione,

^a—Agitur de hac materia in Decreto 32. q. 7. *Can. 19. et seqq.*, et Trid. S. 24. c. 5. *de reform. matr.*, ubi statuitur de impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita.

Sac. Congreg. Conc. et S. Pius V. motu proprio edito 20 Aug. 1566. Et quamvis multi velint privationem juris petendi debitum incurri ab ignorantibus propter naturalem affinitatem et indecentiam, oppositum tamen etiam videtur probabile, maximè respectu simplicium, licet tutior sit dispensatio, quam plerique confessarii regulares vi suorum privilegiorum impertiri possunt.—Alterum impedimentum, ne complices matrimonium inire possint cum quacumque alia persona (inter se enim nequeunt ob impedimentum affinitatis) per c. 23. *concubuisti* 32. q. 7., contraria consuetudine abrogatum est.

3.º Jus statutum de sponso et marito, etiam procedit de sponsa vel uxore fornicante cum consanguineo sponsi aut mariti; nam in hoc casu propter identitatem rationis non debent ad imparia judicari: et de fœmina idem statuitur c. 21. *si quis viduam* 32. q. 7. et c. 9. *si quis* 34. q. 2.

86. Q. II. *An incestus commissus cum propria consanguinea primi vel secundi gradus impediatur matrimonium cum quacumque persona contrahendum?*

R. Negativè: quia id nullo jure constat: majoritas verò delicti non facit extensionem impedimentorum.—Nec obstant antiqui Canones; nam loquuntur de incestuosis contumacibus nolentibus parere monitis Episcopi: et his imponenda est publica pœnitentia, qua durante, per accidens impediuntur nuptiæ (c. *fin.* 35. q. 8, et si qui alii Canones sunt ex causa eadem q. 6 et 32. q. 2 et 3.)

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE. ^a

87. In h. t. examinatur duplex impedimentum dirimens, scilicet, consanguinitatis et affinitatis ortæ ex copula licita.

Nota I. Consanguinitatem dici quasi sanguinis unitatem, eamque accipi:—1.º Vel *strictè* seu civiliter pro vinculo carnali intercedente inter liberos ex eodem patre et diversa matre natos: quo sensu fratres ex eodem tantum patre nati, dicuntur *consanguinei*: ex eadem tantum matre *uterini*: ex eodem patre et eadem matre nati *germani*. *Latè* seu naturaliter, quo sensu *consanguinitas* est: propinquitas personarum, quæ ab eodem propinquo stipite masculino aut fœminino per carnalem propagationem descendunt. Dicitur à *propinquo stipite*, putà, ut ejus gradus in morali æstimatione numerari possint; alioquin omnes homines essent consanguinei, quia ab eodem Adamo propagantur. *Stipes* continetur intra lineam con-

^a—Agitur de his in *Clem. un. h. t.*—In Decreto 35. q. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. *per tot.*—In Trid. sess. 24. c. 4. 5. *de reform. matrim.*—In Institution. lib. 1. tit. 10.—In Pandectis sparsim *tit. de rit. nupt.*—In Codice sparsim *tit. de nupt. et tit. seq. de incestis, et inutil. nupt.*

sanguinitatis, sive procedat ab alio, sive à nullo; sicut Adamus, qui suis liberis et nepotibus fuit consanguineus, et tamen à nullo est genitus.

Nota II. Ex consanguineis alios esse *agnatos*, qui per lineam masculinam descendunt: alios *cognatos*, qui descendunt per lineam femininam. Quæ differentia hic non attenditur; imò nec in jure civili, cum cognati per omnia exæquati sint agnatis (l. 14. 15. c. de legit. hæred. Nov. 118. cap. 5.)—Rursùm consanguinei alii sunt *naturales tantùm*, inter quos sola natura vinculum sanguinis inducit citra approbationem legis: cujusmodi sunt consanguinei ex cognatione servili, concubinaria, fornicaria (l. 4. §. 2. ff. de gradib. et affinib. l. 4. ff. unde cognati tit. In. de cognat. servili.) Alii sunt *naturales simul et legitimi*, quorum consanguinitatem à natura inductam lex approbat, uti sunt consanguinei ex justis nuptiis procreati (cit. l. 2.) Hæc differentia attenditur quoad successiones et jura familiæ, non quoad matrimonia ineunda: *quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est* (l. 14. §. 2. ff. de ritu nuptiar.)

Nota III. Affinitatem quoad nomen esse accessionem ad fines; quia consanguineus mariti accedit ad fines uxoris, et econtra (l. 4. §. 3. ff. de gradibus et affinib.); hoc ipso enim, quòd maritus et uxor per copulam fiant una caro, non potest quis esse propinquus uni, nisi etiam propinquus sit alteri (c. 1. fraternitatis 33. q. 10.) Affinitas quoad rem est: propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentela seu communione sanguinis: et per hoc ultimum affinitas differt à consanguinitate, licet per accidens cum ea convenire possit in eadem persona; ut si consanguineus ex dispensatione ducat consanguineam. Ex data definitione sequitur:—1.º Maritum et uxorem inter se non esse affines, sed principium affinitatis, seu stipitem; nisi per accidens affinis ex dispensatione ducat affinem; nam affinitas non contrahitur nisi mediante tertia persona.—2.º Affinitatem non dari, ubi non præcessit copula vera, naturalis et consummata in sua specie: atque ita non oritur affinitas ex sponsalibus, matrimonio rato, copula præpostera, vel in qua sola femina seminavit; quia neutra est apta ad generationem proles. Si verò solus vir consummet copulam, femina non seminante, inde oriri affinitatem dicit Sanchez; negat verò Clericatus et alii ex *Can. 18. lex 27. q. 2.* ubi desideratur utriusque sanguinis commistio.

His præactis agetur hic:—1.º De impedimento consanguinitatis.—2.º De impedimento affinitatis.—3.º De computatione graduum in iisdem.

Impedimentum Consanguinitatis.

88. Q. I. *An, et quod impedimentum matrimonii oriatur ex consanguinitate?*

R. 1.º Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, putà inter patrem et filiam, matrem et filium, jure naturali dirimit matrimonium. Ità communiter sentiunt omnes gentes benè moratæ et Persæ contrarium agentes detestantur, tanquam prævaricatores juris naturalis. Nam ille contractus est jure naturali invalidus, qui perpetuam turpitudinem continet.

non tantum ab initio, sed etiam in usu et continuatione, ut patet in contractu usurario, concubinario etc.; siquidem jus naturale in se sanctissimum non potest ad aliquid turpe obligare; sed contractus matrimonii inter patrem et filiam initus perpetuam continet turpitudinem; nam pater, tanquam principium influens et dans esse naturaliter, est superior; filia verò accipiens esse naturaliter, est inferior, debens patri perpetuam reverentiam et submissionem ex præcepto 4 Decalogi; cui superioritati et reverentiæ perpetuò adversatur æqualitas et familiaritas conjugalis, jus in corpus et maximè ipsa copula carnalis, quam ob ingenitum pudorem natura tantopere horret, ut verum dixerit Paulus (l. 14. §. 2. ff. de ritu nupt.) *contra pudorem est filiam uxorem suam ducere*; ergò. Tum quia incredibile est, quòd Deus auctor naturæ permiserit facultatem transferendi jus corporis in eum usum, quem ipsa natura non tantum in hominibus, sed in multis etiam pecudibus horret. Cum verò matrimonium patris cum filia non videatur habere materiam prorsus immutabilem et incoonestabilem, puto Deum de absoluta sua potentia posse dispensare in illo.

Dices contra assert.: I. In patre et filia est potentia generandi, cui consensus mutuus accedere potest; honor verò potest à patre negligi, et reverentia filia remitti.—II. Naturæ non repugnat, ut liberi sint æquales, vel Superiores parentibus: ut si filius fiat Rex, Episcopus; ergò ex isto capite non oritur ista irritatio.

R. *Ad I.* Consensus iste, ad turpitudinem obligans, nullus est, sicut consensus conjugati cum alia contrahentis. Honor et reverentia, cum non subsint potestati patris, sed ab ipsa natura continuò præcipiantur, remitti non possunt.—*Ad II. D. A.* Superiores superioritate politica, *C. A.* Naturali et privata, *N. A.* Superioritas politica, cum exerceatur nomine reipubl. non contrariatur inferioritati naturali, quam habent liberi respectu parentum; benè verò æqualitas vel superioritas privata conjugalis.

2.º Consanguinitas in secundo et ulterioribus gradibus lineæ rectæ non dirimit matrimonium jure naturali, v. g. inter avum et neptem: ità *S. D. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* Cajet., Sanch. cum. cilt. contra Be. larm., Laym. et alios docentes irritationem istam extendi in infinitum; et contra alios, qui eam constringunt vigesimo, quarto, vel tertio aut secundo gradu; et contra Ledesm. docentem eam extendi eo usque, quousque durat amicitia quoad proprietates individuales, quas discernere sanè est difficillimum. *Prob.* Communio sanguinis, quo iste magis dividitur, eo fit debilior, ut consanguinitatem in morali æstimatione fundare nequeat; ergò de jure naturali in infinitum non irritat matrimonium, sed certo gradu concluditur; atqui gradus iste est tantum primus inter patrem et filiam, matrem et filium, non verò secundus et ultiores; ergò. *Prob. 2. pars assumptionis.* Sola superioritas et inferioritas naturalis per se et ab intrinseco talis, irritat de jure naturali matrimonia consanguineorum, cum in illa sola fundetur honor et reverentia naturalis; sed in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum et neptem non est superioritas et inferioritas naturalis per se et ab intrinseco talis: tum quia avus non est

principium per se influens et dans esse nepti, sed per accidens, cum accidat patri habere alium patrem, sicut Abel et Cain erant sine avo; tum quia neptis ex ipsa natura non subicitur avo, nisi mediâ et per accidens, quatenus suus pater ei subicitur; et ideo nec fertur tanta reverentia erga avum, quanta erga patrem; ergo spectato jure naturali, non irritatur matrimonium in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum et neptem. Interim tale matrimonium etiam de jure naturali est graviter illicitum ob reverentiam, quam inferior cognatus debet Superiori, ita ut sine gravissima causa coonestari non possit.—Hoc, et non plus probant argumenta ducta ex §. 2. *Iust. de nupt. l. fn. ff. de ritu nupt. tit. C. de incest. nupt.*; quia reverentia ascendentibus debita non est tanta et per se ut sufficiat ad irritationem matrimonii, nisi in gradu primo lineæ rectæ.—Ex his patet, *Lev. c. 18.* impedimenta expressa non omnia esse de jure naturali irritantia matrimonium, ut definit *Trid. sess. 24. Can. 3. de sacr. matr.*, ubi anathematizantur negantes Ecclesiam dispensare posse in nonnullis gradibus per Leviticum prohibitis. Idem statuitur *c. 8. de divor.*; nam lex ista Levitici fuit partim cæremonialis, partim judicialis, quæ per Christum abolita novam Ecclesiam non obligat.

Dices: *C. 13. v. Opinioni, de restit. spoliat.*, Papa rescribit, à Sede Apostolica non posse dispensari ad matrimonia in Levitico prohibita: ex quo colligitur, ea esse jure naturali irrita.—*R.* Non potest de cursu ordinario; bene verò extraordinario, si causa gravis urgeat. Neque colligitur irritationem eorum esse juris naturalis; nam nepos prohibetur ibi contrahere cum amita vel matertera; non tamen neptis cum patruo vel avunculo, cum tamen sint in eodem gradu; quod signum est, legem istam fuisse positivam divinam, non verò moralem et naturalem.

3.º Consanguinitas in primo gradu lineæ transversæ, puta inter fratrem et sororem, jure naturali non dirimit matrimonium: ita *S. D. in. 4. d. 40. qu. un. ar. in corp. et 2. 1. q. 154. ar. 9. ad 3.* subdens: *Aliæ personæ, quæ non junguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam* (sicut parentes et filii), *sed variatur circa hoc decencia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam*; ubi *S. D.* impedimentum consanguinitatis extra primum gradum lineæ rectæ refundit in jus positivum: ita quoque sentiunt *Scot., Nav, Gonz., Schmalz, Sanchez* cum citt. contra *Bellar., etc. Prob. 4.* ex primis matrimoniis liberorum Adami, in quibus jus naturale fuisse relaxatum nec auctoritas, nec ratio suadet; imò *S. Hieron. in qq. in gen. testatur etiam Saram veram fuisse sororem Abrahæ, et simul uxorem; Gen. 20. v. 12: verè soror mea est etc.* Ratio est, quia inter fratrem et sororem, ceterosque collaterales non est naturalis superioritas et inferioritas, cum alter alterius non sit principium, nec alter alteri naturaliter sit subjectus et obligatus ad reverentiam tantam, quanta sufficit ad irritandum matrimonium; ergo. Unde *Paulus l. 35. §. 1, ff. de V. O.*, docet non natura, sed lege cessare obligationem, *si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur.* Interim negari nequit inter fratrem et sororem etiam de jure naturali illicitum esse matrimonium, et contra aliqualem reveren-

tiam sanguini debitam; qua de causa plurimæ gentes ab ejusmodi connubiis.

Dices. I. *Conjuncti secundo et tertio gradu non sunt separandi per c. 28 gaudemus, De divortis*; ergo *conjuncti primo gradu sunt separandi.*—II. *Lev. 20* connubium fratris cum sorore morte punitur.—III. *Ecclesia nunquam dispensavit in gradu primo lineæ transversæ*; quia tale matrimonium est contra pudorem, et habet perpetuam causam turpitudinis, ut insinuat *Paulus cit. l. 35. §. 1. ff. de V. O.*

R. Ad I. De primo gradu, quia *Innoc. III.* non fuit requisitus, nihil respondit. Constat autem ex *c. 8. De incestis 35. q. 3.* nuptias fratris cum germana prohiberi: celebratas tamen in infidelitate non dissolvi.—*Ad II.* Pœna ista facto graviter illicito constituta est, licet de jure naturali sit validum.—*Ad III.* Non ex defectu potestatis, sed causæ gravissimæ, quæ requiretur ad coonestandum tale matrimonium non solet fieri dispensatio, licet, teste *Cajet. Oper. de Matr. et aliis, Martinus V.* vel potius *II.* dicatur dispensasse ad matrimonium inter fratrem et sororem contrahendum.

4.º De jure positivo Ecclesiastico consanguinitas in linea recta inter ascendentes et descendentes dirimit matrimonium in infinitum: in linea verò transversa hodie usque ad quartum gradum inclusivè. Prima pars constat ex *reg. cap. 1 de N. O.*, quia *Ecclesia sequitur dispositionem juris civilis, ubi contrarium per Sac. Canones non statuitur*; sed consanguinitas in linea recta de jure civili dirimit matrimonia in infinitum (§. 1. *Inst. de nupt. l. 53. ff. de ritu nupt.*), neque hoc jus per *Sac. Canones* corrigitur, sed potius approbatur (*c. 2. conjunctiones 35. q. 3.*); ergo.—*Nec obstat c. 8. h. t.*, ex quo *Gonz., Sanch. et alii* hoc impedimentum restringunt ad quartum gradum; nam in *cit. c. 8* dispositio procedit de consanguineis collateralibus, inter quos solebant conjugia iniri, non verò de ascendentibus et descendentibus, inter quos vix unquam conjugia contrahebantur. Sed de hoc non est disputandum, quia vita humana in linea recta quartum gradum non excedet. Secunda pars decisa est in *Concil. Later. relato c. 8. 3. Prohibitio h. t.*, ubi restringuntur *Canones antiqui causæ 35. q. 3.* quibus impedimentum consanguinitatis extendebatur usque ad gradum septimum, vel quousque memoria retineri potuit parentelæ. Ratio à *Conc. Later.* duplex datur: *prima*, quia gradus isti difficillimè computabantur, et matrimonia non sine dispendio contrahebantur: *secunda* ex congruentia; quia in corpore humano quatuor elementis constante quatuor sunt humores; ergo cum sanguis ex diversis qualitatibus alteretur et corrumpatur, post quartam generationem vix aliquid restat de sanguine à stipte derivato (*S. D. p. 3. q. 33. ar. 4.*) Justè autem hæc impedimenta sunt posita: tum quia consanguinei debent sibi reverentiam; tum ut tollatur periculum incestus propter simultaneam habitationem: et hoc procedit de consanguinitate orta etiam ex copula illicita, quia *Trident. S. 24. c. 4. de refor. matr.* solum impedimentum affinitatis, non consanguinitatis, restrinxit ad gradum secundum.

Dices: I. *Deus, qui optimè novit, quid deceat, ultra secundum gradum*

non prohibuit nuptias consanguineis; ergo nec Ecclesia debet prohibere, ut arguunt hæretici.—II. Concil. Turon. II. c. 12 et S. Gregor. c. 20 *quædam* 35. q. 3 velant matrimonia consanguineorum usque ad gradum secundum.

R. Ad I. Hæbreis, utpotè paucioribus, et ad repudia facilioribus non expediebat plures gradus prohiberi: Ecclesia verò ob rationes alias, potestate à Christo sibi data ampliat vel restringit impedimenta, prout temporum ratio exposcit.—Ad II. In hoc Concilio aliqui tantum gradus numerantur: quoad ceteros fit remissio ad veteres Canones. S. Gregor. cum Anglis recens conversis dispensavit in tertio et quarto gradu. De pœnis incestas nuptias contrahentium, dicam infra n. 91.

Impedimentum Affinitatis.

89. Q. II. *Inter quas personas oriatur affinitas?*

R. 1.º Posita copula carnali, affinitas oritur in marito cum consanguineis uxoris, et in uxore cum consanguineis viri: inter alias autem personas, puta inter consanguineos viri et uxoris, nulla est affinitas impeditiva matrimonii, licet vulgò affines se compellant: ita c. 8. h. t. Et hoc vinculum affinitatis non est *factum* à jure, sicut cognatio legalis aut spiritualis; sed est *naturale*, etiamsi ex copula illicita oriatur, quia propter unitatem carnis, quatenus copulati fiunt una caro, naturaliter fundatur quædam amicitia et propinquitas personarum, ut agnoscunt gentes etiam barlaræ; licet affinitas ex copula illicita non attentatur civiliter, quoad successiones et alios effectus juris: quo sensu explicatur l. 4. §. 3. 8. ff. *de gradib. et affnib.*

2.º Affinitatis genus erat triplex: primum, quod contrahebatur tantum, una persona mediante: alterum, quod duabus: tertium, quod tribus personis mediantibus contrahebatur (c. 3. et fin. 35. q. 3.) Sit exemplum: Cajus frater meus contraxit nuptias cum Berta; mortuo Cajo, Berta contraxit cum Titio; Titius, mortua Berta, contraxit cum Mævia: in his tribus matrimoniis Berta est mihi affinis primo genere affinitatis, Titius secundo, et Mævia tertio genere. Hodie secundum et tertium genus sublatum est, et remansit solum primum genus affinitatis (c. 8. h. t.)—Nec audiendus est Schneidewin, excipiens affinitatem secundi generis in linea recta, per l. 15. ff. *de ritu nupt.* l. 4. §. 7. ff. *de gradib. et affnib.*; nam jura ista civilia non curantur, dum jus Canonicum aliter disponit ex communi intellectu DD., quia, cum matrimonia solita sint contrahi in secundo genere affinitatis lineæ rectæ, reductio impedimenti affinitatis ad primum genus generaliter est intelligenda in linea recta et transversa: unde hodie vir potest ducere novercam vel privignam uxoris suæ defunctæ.

90. Q. III. *Quo jure et gradu affinitas primi generis dirimat matrimonium?*

R. 1.º Affinitas, sive in linea recta sive transversa, jure naturali non dirimit matrimonium etiam in primo gradu: ita S. D. l. c. 2. 3. q. 154. ar. 9. ad 3. Cajet., Sanch., Salmant. etc. contra S. Ant., Bellarm., Covar.,

Reiff. cum cilt. qui docent affinitatem in primo gradu lineæ rectæ jure naturali dirimere matrimonium. *Prob. ex c. 8 de incestis* 35. q. 3, ubi matrimonium privigni cum noverca prohibetur: contractum verò in infidelitate non dissolvitur, ut textum istum intelligunt DD. pro nobis allegati. Ratio est, quia inter affines, etiam in primo gradu lineæ rectæ, non datur Superioritas et inferioritas naturalis per modum principii causantis et termini procedentis; et consequenter nec datur honor et reverentia naturalis tanta, quanta sufficeret ad matrimonium ex natura sua invalidandum; ergo. Talia matrimonia de jure naturali valuisse probat factum Adoniæ 3. *Reg. 2. v. 17* petentis sibi copulari Abisag Davidis patris sui relictam: item exempla Gentilium, ut Seleuci, qui secundam uxorem suam Statonicen, factò divortio, dedit uxorem filio suo, teste Valer. Max. l. 5. c. 7. Secunda pars de primo gradu lineæ transversæ est certa: nam Jacob duxit duas sorores Liam et Rachelem, et Deuter c. 35. v. 5 frater jubetur ducere uxorem fratris sine liberis mortui: et Pontifices in hoc gradu dispensarunt, ut Alex. VI cum Rege Lusitanæ, Julius II cum Henrico VIII Rege Angliæ ad ducendam Catharinam Arcturi fratris relictam, Clemens VIII cum Casimiro Rege Poloniæ ad ducendam relictam fratris sui Uladislai etc. Quæ dispensationes, ut validæ judicatæ sunt à celebrioribus Europæ Universitatibus.

Dices: I. In sac. Scriptura *Lev. 20* et *Amos 2* vehementer reprobantur nuptiæ in primo gradu affinitatis lineæ rectæ; et Apost. 1. *Cor. 5. v. 1.* ait: *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat.*—II. Juxta Conc. Arvenens. *Can. 11* tali conjugio naturæ jura pervertuntur.—III. S. Joannes Baptista reprehendit Herodem, quòd fratris sui Philippi uxorem duxerit (*Matth. 14.*); ergo.

R. Ad I. Matrimonia ista gravibus pœnis subjiuntur ob magnam indecentiam; et quia olim erant contra legem divinam positivam: ista tamen indecentia non est tanta, ut ex natura sua matrimonium invalidet. Apostolus loquitur de uxore patris viventis: et quamvis fuisset *relicta*, tamen tunc juris positivi prohibitio vigeat, ne talia matrimonia validè contraherentur.—Ad II. Perrumpuntur naturæ jura quoad licitatem, non quoad valorem: quo sensu consuetudo Gentium, et alia jura exponuntur, ut l. 38. ff. *ad L. Jul. de adult. l. fin. §. 1. ff. de condict. fin. caus. l. 16. ff. solut. matrim. §. 9. In. de nupt.*—Ad III. Vel frater Herodis tunc vixit, vel si mortuus est, lex divina Herodi non permittebat relictam fratris sui ducere.

2.º De jure Ecclesiastico novo, affinitas ex copula licita proveniens dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; et ex copula illicita usque ad gradum secundum, Tridentin. *Sess. 24. cap. 4 de reform. matrim.*, ubi impedimentum affinitatis ex copula illicita restringitur usque ad gradum secundum: illud verò, quod oritur ex copula licita seu conjugali remanet, ut antè, usque ad quartum gradum juxta Decretum Concilii Lateranen. *cap. 8. hoc tit.*, quo corriguntur vetusti Canones extendentes impedimentum affinitatis usque ad gradum septimum (c. 1. 7. 13. *caus. 35. q. 3.*) In linea tamen recta videtur hoc impedimentum extendi in infinitum,

sicut statuitur jure civili (*lib. 4. §. fin. ff. de ritu nuptiar. lib. 4. §. 7. ff. de gradib. et affn.*), licet alii illud concludant quarto gradu: sed de hoc non est anxie quærendum, quia vita humana ultra quartum gradum non extendetur. Ceterum, Decretum cit. Trid. permittit, ut affines ex copula illicita, sive fornicaria, sive incestuosa, sive adulterina, aut simili alia effecti, non tantum valide, sed et licite matrimonia in tertio vel quarto gradu contrahere possint, ut declaravit S. Pius V. motu proprio incip. *Ad Romanum* 1566.

91. Q. IV. *Quæ sit pœna contrahentium matrimonia in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis?*

R. 1.º Excommunicatio latæ sententiæ ipso facto incurrenda: quam etiam incurrunt matrimonia contrahentes cum monialibus: item religiosi et moniales, et Clerici in sacris constituti matrimonia contrahentes (*Clem. un. hoc. tit.*), dummodo contrahant matrimonia de præsententi scienter et liberè; quia ignorantia, modo non sit affectata, uti et coactio, vel gravis injustus metus excusaret contrahentes ab hac censura.—2.º Pœna confiscationis bonorum, exilii et verberationis, si persona sit vilis (*auth. incest. nupt.*), quam pœnam multi intelligunt etiam in casu, quo nuptiæ sunt incestæ de jure Canon. tantum: sed Clar. et alii restringunt ad nuptias de jure civ. incestas; ut inter ascendentes et descendentes, fratrem et sororem etc. (*l. 6. C. eodem.*)

Excommunicationem d. *Clementinæ* non incurrunt:—I. Contrahentes cum errore, qui putant subesse impedimentum consanguinitatis et affinitatis, quod reipsa non subest, cum opinio nostra non inducat censuram.—II. Contrahentes bona fide, licet contracto jam matrimonio, detegatur latens ejusmodi impedimentum, dummodo consensus non renovetur.—III. Contrahentes cum impedimento cognationis legalis aut spiritualis, vel alio dirimente.—IV. Procurator, parochus, testes, consulentes et similes personæ cooperantes, quia *Clementina* loquitur de solis contrahentibus.—V. Fæminæ cum religiosis vel Clericis in sacris constitutis contrahentes; nam istæ non exprimuntur, sed soli viri cum monialibus contrahere non verentes. Ratio horum omnium est, quia cit. *Clementina*, cum pœnalis sit, ad istos casus ibi non expressos extendi non debet.

92. Q. V. *Quis dispensare possit in gradibus consanguinitatis et affinitatis jure Pontificio prohibitis?*

R. Regulariter solus Papa, cum inferior relaxare non possit jus commune, si unus sit in primo gradu consanguinitatis, alter in quinto; vel unus in primo affinitatis ortæ ex copula illicita, et alter in tertio: qui gradus dicuntur mixti seu inæquales, nulla opus est dispensatione, quia remotior trahit ad se propinquiorem.—Nec obstat Const. Pii V. præcipiens exprimi gradus propinquiores, præsertim primum; nam hoc observari debet, dum necessaria est dispensatio; non verò si unus contrahentium sit extra gradum prohibitum: quo casu non opus est dispensatione.

Gradus cognationum.

93. Q. VI. *Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis?*

Nota. In hac computatione attendi *lineam, gradum et stipitem.* *Linea* est: ordinata series personarum ab uno stipite descendentium, adeoque *stipes* erit illa persona, à qua descendunt illi, de quorum consanguinitate quæritur. *Gradus* est: distantia unius personæ ab altera.—*Linea* est duplex: *recta*, in qua collocantur ascendentes et descendentes, quorum unus ad alio procedit per carnalem generationem; *obliqua*, seu transversa aut collateralis, in qua collocantur consanguinei, qui à se invicem non procedunt, licet procedant ab uno communi stipite. Jam si duæ personæ æqualiter distant à communi stipite, v. g. secundo gradu, dicuntur esse in *linea*, seu potius in *gradu æquali*: si verò inæqualiter distent, ut unus, v. g. secundo, et alter tertio gradu recedat à communi stipite, dicuntur esse in *linea* seu *gradu inæquali*: velut communiter loquimur, in gradu mixto, v. g. in gradu tertio mixto cum secundo, aut primo etc.

R. In ordine ad matrimonia contrahenda gradus de jure Canonico computantur secundum tres seqq. regulas:

Regula I. Pro *linea recta* ascendentium et descendentium, *tot sunt gradus, quot sunt generationes* seu progenies, vel *quot sunt personæ, una dempta*. V. g. avus et ego sumus in secundo gradu, quia hic duæ generationes intercedunt: una, qua pater meus genitus est; altera, qua ego genitus sum; vel quia sunt tres personæ: *avus, pater meus et ego*; ergò, una dempta, remanent duæ, et consequenter duo gradus. Similiter in descensu et ascensu fit computatio: sint *stipes Cajus et Caja*, eorum majores erunt: 1.º *Pater et mater*; 2.º *Avus et avia*; 3.º *Proavus, proavia*; 4.º *Abavus, abavia*. Descendentes verò seu posteriores erunt: 1.º *Filius, filia*; 2.º *Nepos, neptis*; 3.º *Pronepos, proneptis*; 4.º *Abnepos, abneptis* etc., ubi vides tot gradus, quot sunt generationes seu quot sunt personæ, una dempta. Ceterum unius generationis liberi omnes in eodem gradu ponuntur, v. g. omnes filii et filiæ in primo gradu etc.

Regula II. Pro *linea transversa æquali, collaterales tot gradibus distant inter se, quot gradibus uterque distat à communi stipite*. Nam personæ istæ non aliter sibi sunt consanguineæ, nisi quatenus sanguinem trahunt ab eodem communi stipite; ergò tantum distant inter se, quantum distant à communi stipite. Sic per descensum:—In I. gradu sunt: *Fratres germani* cum sororibus germanis, qui ab iisdem parentibus procedunt; *fratres consanguinei* cum sororibus consanguineis, qui ab eodem patre et diversa matre geniti: *fratres uterini* cum sororibus uterinis, qui ab eadem matre et diverso patre nati sunt.—In II. gradu: *Patruales*, seu liberi ex fratribus: *consobrini*, seu liberi ex sororibus: *amitini*, seu liberi ex fratribus et sororibus.—In III. gradu: *patruelum*, consobrinorum et amitinorum liberi; hi in tertio et secundo gradu communi nomine dicuntur *sobrini*.—In IV. gradu sunt: *patruelum*, consobrinorum et amitinorum nepotes et neptes.

Per ascensum verò:—In I. gradu sunt frater et soror.—In II. gradu pa-